

ra Ecclesiæ, quod aqua miscenda sit modicissima, si æque bene potest converti illa aqua in sanguinem Christi, etiamsi non fit modicissima, sed in majori quantitate, dummodo vinum non corrumpat. Et non corrumpi ab ipsa nisi in magna quantitate, videtur certum, quia vinum fortius est ad resistendum aquæ, quam e converso. Videmus enim in communi usu summi vinum, quod in sua substantia tale sit, etiamsi infundatur aqua non modicissima: ergo ut vincatur resistentia, major pars aquæ requiritur.

XI. Deinde in Concilio Tridentino sess. XIII, can. II, dicitur: « Converti panem in corpus, et vinum in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini: » ergo species aquæ nunquam manere possunt, si quidem Concilium dicit manere dumtaxat species panis et vini: ergo neque aqua converti potest in sanguinem, nisi prius fuerit conversa in vinum. Patet consequentia, quia si converteretur in sanguinem, non maneret ejus substantia, et manerent ejus species continententes sanguinem: ergo non manerent dumtaxat species panis et vini, sed etiam species aquæ.

XII. Nec dici potest, Concilium nomine specierum vini, etiam intelligere species aquæ quatenus vino conjunctæ, quia licet physice vinum non sint, tamen denominative appellantur vinum, propter conjunctionem cum illo, quia usuali et communi modo totum illud reputatur pro vino. Contra enim est, quia quando Concilia explicant materiam sacramentorum (verbi gratia, quod sit aqua pro baptismo, oleum pro extrema unctione) loquuntur in toto rigore physico de oleo, et aqua naturali et vera: ergo etiam quando loquuntur de pane et vino pro sacramento eucharistiæ, in proprie-

tate physica loquuntur, et non secundum moralem et extrinsecam denominationem, alias nihil certi in materiis sacramentorum haberemus: ergo similiter quando dicit Concilium remanere dumtaxat species panis et vini, loquitur de unio in proprietate et rigore physico, si quidem solum illius vini species manent post consecrationem, quod ante consecrationem fuerat materia.

XIII. Secundo, deducitur argumentum, ex eo quod aqua non potest esse materia consecrationis, sive mixta, sive separata a vino, nisi ex voluntate et institutione Christi; sed neque ut conjuncta, neque ut separata instituta est a Christo pro materia: ergo non potest converti in sanguinem quamdiu est in forma aquæ. Consequentia patet, quia illud solum potest converti, quod est materia conversionis; illud solum est materia conversionis, quod a Christo institutum est pro materia: ergo quod non institutum est pro materia, converti non potest. Minor probatur, quia aqua non miscetur vino nisi tantum ex præcepto Ecclesiæ, ut patet ex verbis supra relatis Concilii Tridentini sess. XXII, cap. VII, sed aqua in tantum potest esse materia consecrationis in quantum miscetur vino, et non seorsum ab illo; ergo si solum ex ordinatione et præcepto Ecclesiæ conjungitur vino, nullo modo habet esse materia consecrationis. Consequentia patet, quia nihil potest esse materia consecrationis ex vi ordinationis Ecclesiæ, quia non habet potestatem super substantiam sacramenti, sed solum ex institutione Christi; ergo si aqua solum adhibetur in hoc sacramento ex ordinatione Ecclesiæ, non potest esse materia sacramenti.

XIV. Dices: Ecclesiam non instituere illam aquam mixtam pro materia sacramenti, sed Christum in-

stituere ut id quod Ecclesia misceret, esset materia consecrationis, quia totum illud pro vino usuali reputatur, et nomine vini venit intelligendum. Unde hoc ipso quod Christus designavit vinum pro materia, quidquid nomine vini intelligi potest, materia est: Ecclesia ergo solum ponit conditionem requisitam, ut aqua illa reputetur pro vino conjungendo illam vino; sed Christus instituit et designavit illam pro materia, hoc ipso quod vinum materiam esse dixit.

XV. Sed contra est, quia in designandis materiis sacramentorum Christus nihil Ecclesiæ commisit, sed solum circa usum et administrationem illorum, ut constat ex Concilio Tridentino sess. XXI, in principio. Materia autem maxime pertinet ad substantiam sacramentorum: ergo illius designatio non est commissæ Ecclesiæ, nec voluntati Ecclesiæ relictum est, quod si præciperet miscere aquam, esset materia; si non præciperet, non esset; neque ad hoc adducitur aliquod fundamentum, unde constet Christum Dominum sic fecisse: ergo sine aliquo fundamento et temerarie in re tam gravi id affirmaretur; alias simili modo posset dici, quod si oleo misceretur alius liquor pro extrema unctione, etiam ille liquor redderetur materia talis sacramenti, quia sic instituit Christus. Nos autem non aliunde possumus colligere quæ sit propria materia sacramenti nisi ex propriis verbis quibus Scriptura illam designat; ut nomine aquæ pro baptismo solum aquam naturalem, nomine olei pro unctione solum oleum, et nomine vini solum vinum de vite: quidquid amplius est, sine fundamento dicitur Christum id instituisse dependenter a præcepto Ecclesiæ. Quod si solum fiat vis in hoc, quod nomine vini intelligitur totum illud quod in calice ponitur,

ut conjunctum vino per modum potus, et hac ratione aqua illa ut mixta vino vinum appellatur.

XVI. Contra est, quia hac ratione, etiam sine auctoritate Ecclesiæ et præcepto potest aqua fieri materia sacramenti; imo non solum aqua, sed et quilibet alius liquor etiam mixtus vino convertetur in sanguinem, ac per hoc institutio Christi Domini fuisset, quod unum, et quilibet alius liquor ipsi mixtus, sit materia consecrationis. Imo quando ex aqua et vino fit unum mixtum tertium, quod physice et in re neque est aqua neque vinum, sed tamen usualiter et communiter pro vino reputatur, esset materia consecrationis, sicut dicitur esse aquam mixtam vino, non quia est, sed quia reputatur pro vino; quæ tamen omnia absurda sunt, nec de tali Christi institutione constat. Aliud est enim, quod facta mixtione alterius liquoris, illa pars vini quæ non corrumpitur, remaneat materia consecrationis; aliud quod etiam liquor extraneus reddatur materia, cum ex se non sit, per hoc præcise quod adjungatur vino; cum tamen solum constet Christum Dominum designasse pro materia vinum, et Ecclesiam sic declarasse. Neque etiam obstat, quod Christus Dominus designavit pro materia matrimonii illum contractum, quem Ecclesia validum esse decrevit; ergo etiam potuit designare pro materia calicis illud, quod Ecclesia præceperit et ordinaverit calici infundi.

XVII. Contra enim est, quod exemplum nullo modo quadrat, nam Christus Dominus designavit pro materia matrimonii contractum alias validum secundum naturam et leges talis contractus; unde conditio adjuncta per Ecclesiam, ut contractus sit validus, non mutat materiam, neque facit ut id quod non est contractus sit materia sacra-

menti, sed solum ponitur illa conditio ad producendum in rerum natura verum et validum contractum secundum approbationem legalem. Aqua autem non infunditur vino ad hoc ut vinum reddatur vinum et proprium, sed solum propter significationem mysticam; et ideo si non convertatur in vinum non potest ab Ecclesia fieri materia sacramenti; et ideo exemplum sic adæquabitur, si mus quod conditio Ecclesiæ adjecta dicæ contractui redditur materia sacramenti, quia transit in valorem contractus; ita aqua redderetur materia consecrationis, si transeat in vinum.

XVIII. Tertio et ultimo probatur conclusio ab inconvenientibus; et omnia reduci possunt ad unum principale. Sequitur enim ex opposita sententia, quod possit aliquando sanguis Christi manere sub specie solius aquæ, vel corpus Christi sub specie panis non triticeo. Consequens est absurdum; ergo. Minor probatur, quia corpus Christi non potest contineri nisi sub speciebus panis, neque sanguis nisi sub speciebus vini, quibus corruptis desinit ibi esse corpus Christi aut sanguis; ergo sub speciebus solius aquæ, vel alterius panis, quam triticeo, non potest manere corpus et sanguis Christi, si quidem talis materia non potest se sola consecrari: ergo neque se sola potest conservare, et retinere corpus et sanguinem Christi. Sequela vero probatur: Sit casus quod in aliqua hostia simul cum massa ex tritico misceatur massa ex alia farina, ut ex hordeo, vel fabis, non conversa illa in triticum; vel in calice sit aqua non conversa in vinum, consecratio cadens super totam illam materiam convertit in corpus et sanguinem etiam illud, quod non est panis, neque vinum physice et in re; si ergo aliquo casu vinum illud calicis acescat

vel corrumpatur, non corrupta parte aquæ, vel ex hostia detrahatur illa pars quæ est ex tritico, remanente illa parte quæ est ex alio grano, tunc remanebit corpus Christi sine specie panis, et sanguis sub speciebus aquæ, et non vini. Patet, quia illa aqua, et ille alius panis jam fuerunt consecrata, et eorum substantia jam transivit in corpus et sanguinem Christi; ergo non potest eorum substantia redire, nisi iterum corpus Christi et sanguis convertatur in ipsas; nec ibi potest desinere esse corpus et sanguis, nisi illæ species consecratæ destruantur, quia habent sibi alligatum et unitum corpus et sanguinem Christi facta consecratione; sed illæ species non destruantur, quia non datur aliquod agens corruptivum illarum, sed solum separantur localiter ab aliis: ergo remanet in illis corpus et sanguis Christi.

XIX. Dices: Non corrumpi physice illas species per solam localem divisionem, corrumpi tamen moraliter, et quantum ad quamdam conditionem requisitam ut contineant corpus Christi, nempe quod sint conjunctæ vino, vel pani triticeo, quia ex tali conjunctione poterant esse materia sacramenti, in quantum totum illud reputabatur ut panis, vel vinum. Et hoc ideo, quia illa materia non est materia sacramenti per se, sed per accidens, id est, per aliud, et ex conjunctione ad aliud; unde remota illa conjunctione, est perinde ac si destruerentur illæ species, quia in ratione materiæ talis sacramenti destruantur. Sed contra est, quia licet hoc requiratur ad ipsam consecrationem quando fit, tamen semel facta consecratione, et physice conversa illa substantia in corpus Christi, non potest nisi per physicam corruptionem specierum desinere ibi esse, eo quod corpus Christi est physice unitum, et alligatum

speciebus, tamquam loco substantiæ subrogatum. Et deinde, quia licet illa materia sit per accidens materia sacramenti, tamen realiter et vere illa substantia fuit physice destructa, et conversa in Christi corpus; ergo per solam separationem localem non potest illa eadem substantia redire, nisi a Deo iterum reproducat destruyendo ibi corpus Christi, vel convertendo ipsum corpus Christi in eam substantiam, quæ in ipsum fuerat conversa, quod est magnum inconveniens et absurdum. Quod autem non possint illæ species amplius denominari panis vel vinum, non est destructio physica talium specierum, neque reproductio physica illius substantiæ semel destructæ, sed solum amissio denominationis extrinsecæ ex conjunctione ad species panis et vini: ergo non potest ibi desinere esse corpus Christi ex sola illa separationem locali; neque est inconveniens, quod ad faciendam consecrationem requiratur talis conjunctio in illa materia, facta autem consecratione non amplius requiratur ad retinendum ibi corpus Christi, quia hoc non potest ibi desinere nisi per aliquam physicam mutationem specierum, neque substantia destructa redire, nisi per physicam reproductioem; quod totum non constat ibi esse.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XX. Argumenta quæ contra nostram resolutionem fieri possunt, nec multa sunt, nec valde urgent: præcipuum tamen argumentum potest fieri ex determinatione Innocentii III supra relata, et ex S. Thoma hic articulo octavo. Ex eo enim Innocentius et S. Thomas rejiciunt illam

opinionem, quæ dicebat aquam mixtam vino non transire in sanguinem, sed manere in substantia aquæ, quia totum quod in calice est debet esse sanguis Christi, et sic proponitur populo adorandum; ideoque inconveniens est, quod aliqua substantia ibi maneat, quæ non sit Christus, nec possit adorari. Sit ergo casus, quod aqua infusa vino nondum sit conversa in vinum quando fit consecratio, tunc vel totum illud quod est in calice convertitur in sanguinem, vel non; si convertitur, habetur intentum, quod aqua conversa in vinum transit in sanguinem Christi; si non convertitur, sed remanet substantia aquæ, currit eadem ratio, propter quam Innocentius et S. Thomas rejiciunt aliam opinionem, scilicet, quod remaneat aliqua substantia in calice non consecrata, et adoretur a populo: ergo vel illa ratio est insufficiens, vel currit eodem modo in nostro casu, si quidem tunc substantia aquæ non consecratur.

XXI. Confirmatur et explicatur amplius hæc ratio, quia patres communiter et indistincte docent aquam et vinum converti in sanguinem; sæpe autem contingit aquam non esse conversam in vinum, vel propter debilitatem vini, vel propter brevitate temporis inter ejus infusionem et consecrationem: ergo Ecclesia præcipiendo aquam vino misceri, semper redderet dubiam, vel exponeret periculo dubietatis consecrationem totius materiæ contentæ in calice. Si enim tunc, quando aqua non est conversa in vinum, non convertitur in sanguinem Christi, est contra prædictos patres, et contra certitudinem quæ requiritur in consecratione totius materiæ; si autem consecratur, habetur intentum. Quod vero patres ita doceant, constat ex pluribus auctoritatibus quæ citantur in supradicta epistola

Gaufredi, nam Cyprianus epist. LXIII inquit: « Calix Domini non est aqua solum, nec vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur; » Ambrosius lib. IV de sacramentis, cap. IV et V: « Vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis Christi; » Damascenus lib. IV fidei cap. XIV: « Ex pane corpus, et ex vino et aqua sanguinem suum effecit: » et similia habent alii patres. Difficiliora sunt autem verba Petri Blesensis tractatu de eucharistia, cap. XIV: « Post consecrationem sanguis bibitur, quia in sanguinem demutatur aqua: » et Paschasii libro de corpore et sanguine Christi, cap. XI: « Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem. »

XXII. Respondetur, aliud esse loqui de eo quod Innocentius dicit in illo textu, aliud de ratione adducta a S. Thoma in hoc articulo octavo. Nam Innocentius papa tres refert opiniones, nec tamen eisdem rationibus utitur, quibus S. Thomas. Nam primo refert illam, quæ dicebat vinum converti in sanguinem Christi, et aquam mixtam vino converti in illam aquam, quæ fluxit de latere ejus. Quod enim aliqui dicebant aquam converti in phlegma, seu humorem aqueum, qui exivit de latere Christi, non in ea decretali improbat Innocentius, sed infra capite in quadam, eodem titulo de celebratione missarum. Secundo, refert eam opinionem, quæ dicit aquam transsubstantiari in sanguinem, quia transit in vinum mixta vino, licet aliqui physici dicant in vinum non converti. Hanc postea approbat pontifex ut probabilior. Tertiam opinionem refert, quæ dicebat aquam non transire in sanguinem, sed remanere vini accidentibus circumfusam: hanc relinquit pontifex, non tamen rationem aliquam affert contra illam; sed S. Thomas in hoc articulo

octavo referentem eandem opinionem, improbavit illam ratione adducta, quia facta consecratione non manet ibi aliqua substantia, quæ non sit corpus Christi et sanguis, alioquin non totum veneretur adoratione patriæ. Nos autem supra hanc rationem, quæ est S. Thomæ, etiam Innocentio attribuimus, quia pro Innocentio illam adducit S. Thomas ad improbandam opinionem, quam pontifex reliquit. Quo supposito respondemus ad argumentum, quod attinet ad Innocentium, non reprobare illam opinionem ex eo quod totum quod in calice est, quomodo-cumque facta consecratione, convertatur in sanguinem, sed opinionem illam refert, nec rationem affert contra illam, sed solum relinquit, eligens aliam ut probabilior. Unde ex illo textu non potest deduci argumentum contra nos, quia quando ex aliquo accidenti aqua infusa calici non est conversa in vinum, neque consecratur, quia non est materia consecrationis; neque in hoc casu tantum loquebatur illa sententia, sed semper et per se asserbat sic fieri, quod aqua maneret cum vino speciebus ejus circumfusa, non autem per mixtionem convertetur in vinum; et ideo relinquitur ab Innocentio tamquam disconveniens opinio.

XXIII. At vero S. Thomas addidit illam rationem, quæ omnino convincit per se loquendo esse inconveniens, quod aqua non convertatur in vinum, sed maneat in propria substantia aquæ, cum non possit transire in sanguinem, nisi prius facta sit vinum. Esset autem inconveniens, quod ex una parte Ecclesia præciperet aquam misceri vino, quæ nunquam esset convertenda in sanguinem, nec mediate, nec immediate, sed remaneret in propria substantia aquæ, et ex alia parte totum quod est in calice indistincte pro-

poneret adorandum, hoc est magnum inconveniens, et directe destruit illam opinionem, quam non approbavit Innocentius, quia dicebat semper ita fieri, quod aqua remaneret in sua substantia ex natura rei. Cæterum si aliquo casu fortuito, vel ex ignorantia, vel ex negligentia, aut malitia remaneat aqua non conversa in vinum, revera non convertetur in sanguinem; et proponeretur adorandum populo totum quod est in calice, non ex intentione Ecclesiæ, quæ de se sollicita est ut in tam parva quantitate infundatur aqua, quod facile transeat in vinum, et moraliter de hoc simus certi; sed erit per accidens quod aliquando proponatur adorandum populo aliquid quod non est sanguis Christi: sicut etiam fieri potest ex malitia sacerdotis, quod consecret unam partem hostiæ, et non aliam, vel omittat verba consecrationis, et tamen rem illam adorandam proponat; quæ enim sunt per accidens ab arte omittuntur.

XXIV. Ad confirmationem respondetur, patres in illis verbis, et aliis similibus loqui de aqua mixta vino mixtione perfecta et rigorosa, per quam convertitur ipsa aqua in vinum; tum, quia nomen mixtionis id in rigore significat (alia enim mixtio imperfecta non est proprie mixtio, sed juxtapositio) tum, quia consuetudo et mandatum Ecclesiæ ita hoc intellexit, dum præcipit modicissimam aquam infundi; quod utique non fieret, nisi ut aqua converteretur in vinum, atque adeo ut mixtio perfecta et rigorosa fiat, quæ est cum conversione aquæ in vinum. Et cum hæc mixtio consueta et communis sit in Ecclesia, de illo loqui patres credibile est, non de mixtione imperfecta, quando manet aqua in propria forma. Et cum dicitur, posse sæpe contingere aquam

non esse conversam in vinum, respondetur non posse id frequenter contingere, si servetur usus et præceptum Ecclesiæ apponendi modicissimam aquam; si autem id non servetur, per accidens erit, et non ex intentione Ecclesiæ; nec sequitur quod manebit dubia materia, quia modo non sit tanta quantitas aquæ quod corrumpat vinum, semper est certum manere materiam consecrationis; quod si magna quantitas aquæ ponatur, fiet contra præceptum Ecclesiæ, et tunc erit dubia materia ob defectum ministri, non ex intentione Ecclesiæ. Si autem fiat vis in eo quod totalis materia manebit dubia, quia non constat quod totum quod est in calice sit consecrabile, respondetur quod servando usum Ecclesiæ infundendi modicissimam aquam, nunquam id erit dubium practice et moraliter, quia non potest securius fieri ista mixtio, nisi apponendo modicissimam aquam, ut constet esse conversam in vinum; si vero præceptum Ecclesiæ non servetur, dubium illud de materia consecrationis non erit per se, sed per accidens, ex defectu ministri.

XXV. Secundo arguitur: Quia Christus Dominus in vino aqua mixto creditur consecrasset, ut dicit Concilium Tridentinum sess. XXII, cap. III, sed Christus non consecravit apponendo guttam modicissimam, quia miscuit aquam propter observationem temperantiæ et consuetudinem illius regionis; esset autem ridiculum propter temperantiam modicissimam aquam infundere; ergo etiam nos debemus in vino sic temperato consecrare, atque adeo fere semper aqua non erit conversa in vinum, quia tam brevi tempore non potest talis quantitas aquæ converti; et hoc non obstante Christus Dominus totum quod erat

in illo calice consecravit, et adorandum præbuit: ergo etiamsi aqua non sit conversa in vinum, tota consecrabitur; quod etiam patet ex ipsa forma calicis: *Hic est calix sanguinis mei*, id est, totum contentum in isto calice est sanguis: ergo si aliquid de aqua fuit in illo calice nondum conversa in vinum, totum illud fuit factum sanguis. Confirmatur, quia vinum limphatum est commune et usuale vinum inter homines, sicut absolute dicitur panis triticeus, etiamsi aliquod granum sit ex hordeo: ergo totum illud potest converti in sanguinem, quia sufficit ad conversionem commune et usuale vinum, alioquin solum purum vinum, non autem limphatum et mixtum consecraretur, quod negant patres supra citati; vinum autem mixtum dividitur contra purum: ergo si mixtum est materia consecrationis, non debet prius aqua converti in vinum, quam in sanguinem; alioqui id quod convertitur erit solum et purum vinum, non ergo mixtum.

XXVI. Respondetur Christum Dominum, cum evidenter et comprehensive cognosceret quando aqua esset conversa in vinum, etiamsi plus aquæ infunderet quam nos, tamen quando consecravit jam aqua erat conversa in vinum; nam etiam Christus Dominus expectavit ut esset finita cœna ad consecrandum calicem, quia postquam cœnavit, accepit calicem, etc. cum tamen panem durante cœna consecraverit, nam: *Cœnantibus illis accepit Jesus panem, etc.* et sic sufficiens tempus transiit, ut aqua illa converteretur in vinum. Deinde etiam non constat Christum Dominum non infudisse aquam in modica quantitate, quia licet regulariter limphatum vinum in magno temperamento biberet, tamen tunc quando consecravit, non utebatur

illo calice propter temperantiam, sed propter mysterium, si quidem non infundebat illum, ut ipse solus biberet, sed ut biberent ex illo omnes Apostoli: unde etiamsi modica aqua apponeretur, temperatissime biberent: unde et Christus Dominus immediate post consecrationem calicis dixit illud esse de genimine vitis, ut intelligeremus, quia licet infudisset aquam, jam totum illud erat vinum. Quare magis tenemur sequi præceptum, et traditionem Ecclesiæ, quia jubet modicissimam aquam misceri, quam discursus nostros, quibus imaginamur Christum majorem quantitatem aquæ infudisse, de quo non constat. Et cum dicitur, quod forma calicis significat totum contentum in calice converti in sanguinem, distingo; totum quomodocumque, nego; totum in materia habili et capaci ad conversionem, scilicet in substantiam vini, concedo.

XXVII. Ad confirmationem respondetur, vinum limphatum esse vinum usuale, si taliter sit mixtum, quod sit conversum in vinum; si vero non sit conversum, sed fiat quoddam tertium ex vino et aqua, non est vinum usuale, licet sit usualis potus. Aliud est enim vinum usuale, aliud potus usualis. Usualis potus potest esse ex aliis liquoribus, præter vinum; vinum autem usuale non nisi vinum esse potest; quod non solum pro potu, sed etiam pro aliis usibus servit. Sicut panis triticeus, si habeat alia grana admixta, et illa sint conversa in massam triticeam, simpliciter est panis triticeus usualis; sin minus illud non convertitur in triticum, non erit materia consecrationis. Quod vero patres dicunt, vinum mixtum esse materiam consecrationis, non vinum purum et solum, dicimus verum esse de vino mixto quoad infusionem aquæ, non

mixto quoad corruptionem vini, vel quod maneat aqua in sua substantia; sed debet solum esse vinum quoad substantiam (hoc enim requirit mixtio perfecta aquæ) quod si debet remanere vinum, et non tota-

liter corrumpi, oportet quod mixtio perfecta fiat, non per conversionem utriusque in unum tertium, sed per conversionem aquæ in vinum. Patres autem loquuntur de mixtione perfecta, ut dictum est.